tum esse testati sunt. Tunc omnes qui venerant
ut emerent contristati sunt graviter et simul acgerunt.
Sed beatus Nicolaus expertus clamorem populi coactus
accessit ad naves et ait nautis Ecce fratres vide-
tis inopiam populi fame eos cruciari. Nolite ergo
obsecro verba mea postponere. sed facite que moneo
et dico Centum quidem modios absque precio implete.
ut esurientem populum refocillare possim. et non mori-
atur. et ego in nomine domini mei ihesu christi spondeo atque
promitto. quia remensurantes numquam non invenietis. et
cum prospero et tranquillo vento reversuri gaudentes
totum salvum invenietis. Audientes autem illi in no-
mine sancti Nicolai dei nutu voluntati eius obedierunt.
centumque mensurantes modios sancto viro dederunt.
Quos ille gratis accipiens populo gratis dedit.
Accipiens vero plures dies refocillata est non minima
multitudo. Naute vero perceptis benedictionibus a sanctissimo
viro gaudentes et exultantes cum frumento reversi
sunt. Quod per ordinem requirentes atque mensurantes.
nec unum modium minus invenerunt. Laudem vero
et gloriam deo dederunt. penitentes quod multo plus tri-
tici quam sanctus petisset non tribuissent **De oleo in mare
admonitione viri dei proiecto et de arsione eius in aqua.**
Praeterea ex longinquo venerunt naute ad sa-
lutandum benedictionemque percipiendum sancti Nicolai.
quique graciose suscepti sunt ab eo. Suppliciter
vero ei se commendantes. primum quidem sua que detinu-
erant munuscula ferre studuerunt. post vero obtulerunt
oleum in sigillata ampulla vitrea quod ei speciosa
quedam mulier dederat. obsecrata tamen scilicet illius mul-
tum obsecrasse et commendasse se sancto viro. ut oleo illo